



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

DE || LIBERTATE || CHRISTIANA ||

Lensaeus, Johannes

Antverpiae, 1590

Capvt XVI. Frustra esse pastores in Ecclesia, si permittenda cuique est suæ conscientiae libertas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46059](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46059)

CAPVT XVI.

Frustra esse pastores in Ecclesia, si permittenda cuique est sua conscientia libertas.

IAM cur sint in Ecclesia pastores ac præfecti, nisi vt illis obediatur? Ideo enim hoc Paulus præcipit: Obedite, inquit, præpositis vestris. ipsi enim pro vobis peruigilāt, rationē pro animabus vestris reddunt. Frustra est pastor in grege, si non eum sequi debeant oues: frustra imperator in castris, si non ei parēre per omnia debeant milites. Si quemque suæ conscientia relinquendum putas, iam pastoris cōscientiam exsoluisti. Quam tamē Dominus vsq. ad eō non exsoluit, vt dicat eos Apostolus pro suis ouibus rationē esse reddituros. Quos sic etiam cū parum officij sui meminerint, terret Deus per Prophetam, vt tollendos e medio perdendosque denunciaret: quia quæ perierint, non requirant; quæ sint infirma, non confirment; quæ morbida, non curent; quæ contracta, non consolident; quæ errent, non reducant. Vel vnius Pauli nos exemplum cumulatissimē instruat, ad hanc vanitatem refellendam. Cū enim apud Corinthios inflati quidam essent, quia videlicet moniti & correpti à suis pastoribus non acquiescerent, neque ad eorum se præcepta & regulas accommodare vellent, tāquam ad eos Paulus, quem plus formidabant, non esset ipse venturus: hic ergo Paulus, cū tales essent quidam, nunquid rescripsit: Sinite iam illos posteaquam admoniti sunt: nemo sit eis molestus; relinquuntur suis conscientijs: minimē verò, sed ad illorum terrorem, venturum se esse denunciat, & cogniturum non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem. Ac ne nihil aliud eum existimes, cū illò venisset, quàm verbo fuisse commonefacturum, aut etiam correpturum, increpaturumque durius; virgam quoque, vltionemque minatur.

Heb. 13.

Ezech. 34.

1. Cor. 4.

tur. Vultis, inquit, in virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudinis? Et ne quis diceret ad vitia morum illa pertinuisse, nō ad propriam diuini cultus & religionis rationem: generale postea præceptum dedit, quo omnem vellet corruptelam extirpari: Auferre, inquit, malum ex vobis ipsis. hoc autem dicit, *Cap. 5.* quòd de ijs qui intus essent, Christianique censebantur, volebat iudicari, atque in eos per iudicium Ecclesiasticum animaduerti, vt Ecclesia, quoad fieri posset, munda & incorrupta seruetur. Dicat nunc aliquis hæreticum suæ conscientiae esse relinquendum, sed is qui hæresim non putet esse malum. Quòd si malum est, erit igitur, simulatque perceptum deprehensumque à pastore fuerit, è medio dissipandum. Nisi fortè leuius quis putet malum esse hæresim, quàm fornicationem, & cancrum mentis tolerabiliorem quàm corporis, & nummi falsationem quàm imaginis Dei, aut leuiora fidei, quæ iustificat, esse detrimenta, quàm morum, quorum est fides ipsa fundamentum. Mira peruersitas, & stupenda etiam sui ipsius obliuio. Nihil aliud quodam tempore quàm fidem inculcant, commendant, extollunt, vt quæ sola, quod aiunt, iustificet, sola nos Deo coniungat, sola spem faciat nobis æternæ hereditatis adipiscendæ. Cur aliàs ergo tantum boni tam parui pendunt, vt hoc vitium, à quo illi pernicies impendet, tam leue ducant? vt faciliùs puniendum putent iustitiæ per falsum testimonium, aut pudicitiae conjugalis per adulterium corruptorem: quàm fidei per falsa dogmata subuersorem? An non falsus testis, qui cum ad Christi imitationem, testimonium perhibere deberet veritati, noxiæ tamen perhibet testimonium falsitati? Non falsus aduersus Deum testis, prædicator confirmatorque mendacij: cum metueret Paulus, ne falsus Dei testis inueniretur asserta suscitatione Christi, si omnino mortui non resurgant?